



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

De d[i]spositione i[n] ipsa celebratione cap. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

tius est eodem die non celebrare,  
alias peccatur saltem venialiter.

*De dispositione in ipsa celebra-  
tione. Cap. 2.*

**I**N ipsa celebratione quatuor  
sunt obseruanda, quæ hoc car-  
mine clarè monita cernere  
licet.

Apta, locus, vestis, tibi sint alta-  
re, minister.

\* Apta, & commoda omnia in  
ipsa celebratione esse debent, sed  
intèr hæc locus ille aptus habe-  
tur, qui est per Episcopum conse-  
cratus, si tamen esset necessitas &  
non posset adiri Episcopus, vt in  
itinere quando festo die sacrum est  
audiendum, vel communicandus  
aliquis in mortis articulo posset  
celebrari in non consecrato, et si  
quia iam rarò consecratur locus,  
fatis sit benedictio. Præterea debet  
abesse sanguinis effusionis pericu-  
lum, vt in mari, nec debet esse



pollutus seminis, vel sanguinis  
humani effusione nota, nec ex-  
communicatorum sepultura. Ve-  
stis etiam sacerdotalis non fordi-  
da, aut dilacerata, sed integra,  
munda, ac per Episcopum, vel  
Abbatem benedicta esse debet.  
Vestes sacerdotales sunt sex, quæ  
sacratissimæ passionis Domini no-  
stri Iesu Christi mysteria perbellè  
representant, ut ibi Toletus, &  
nos in Speculo ecclesiastico parte  
1. c. 3. lingua vernacula clarè ex-  
plicuimus. In altari ad celebra-  
ndum præparato plura requiruntur:  
Ara lapidea integra, & consecrata,  
Mappa, Corporalia, Vas, Liber, &  
Candela, ita ut celebrare sine libro  
vel vna saltem candela sit morta-  
le, quàmvis necesse non sit ut cādela  
sit cerea. Vas est calix cum patena  
consecrata, aurea, vel argentea, aut  
saltem ex stanno. Minister ido-  
neus est vir non fœmina, & vnus  
iam ex consuetudine sufficit.